

001
1. Sp

Tom, 74

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
14.
15.
16.
17.



47.
DISSERTATIO
DE
NATURA HO-
MINIS CIVILI,

QVAM
PRÆSIDE
M. TOBIA ECKHARDO,
ILL. QVEDL. RECTORE
PRÆCEPTORE SUO OMNI OBSERVAN-
TIÆ CULTU DEVENERANDO

IN AUDITORIO MAJORI
PUBLICE CONTRA DISSENTIENTES TUERI
CONABITUR

AUCTOR & RESPOND.

JOH. ZACHARIAS *Wartmann,*
SCHWARTZBURGICUS.

D. i. Mart. An. clocc xii. ab hora
vii. matutina.

QVEDLINBURGI,
Literis **JOH. GEORGI SIEVERTI,** Typ. Aul.

DEO OPTIMO
MAXIMO
PATRI, FILIO
ET
SPIRITUI
SANCTO,
UNI
IN TRINITATE,
TRINO
IN UNITATE,
SOLI
ALTISSIMO
AD
ALTISSIMUM
SOLIUM
PROFUNDISSIMA
IMAg;
HUMILITATE

reddit, consecrat, dicat hæc studiorum
primitias

AUCTOR.



PROOEMIUM.



Periturus Academiam, & ad vere nobilia illa Juris scita me conversurus, de levidensi aliquo specimine, aut saltem umbra rationis circa Studia usque huc habitæ, cogitare debui. Equidem cum intra cancellos adhuc infirmioris doctrinæ ætatem ago, nescio, quisnam huc me abstulerit error, ita, ut facile mutaverim consilium, calamumq; inhibendum esse censuerim. Idem in præsentia accidere mihi deprehendo, quod trans mare navigantibus, cum nimis remiserunt vela, aut ventis res capitæ; sua crediderunt, & postea, quo locorum agitentur fluctibus, nec inveniunt, nec statutum aut exploratum habent. Aut, quod recte omnino varium cibum edi facilius, quam concoqui, in illos dixeris, qui varietate ciborum ventriculum obruunt, sanitatemq; destruunt magis, quam conservant; id ipsum in me derivari poterat, cum eâ agam, quibus ultro confiteor me esse impari, & tanquam profanum. Quanquam hic non varia me appetuisse ipse dicet labor. Nam quia argumentum, quod in scenam producendum atq; enucleandum nunc est, accommodatissimum futuræ studiorum rationi videbatur,

tur, atque ad quod paratior animus statim surgebat, nemo, spero, arbitrabitur, meam me deseruisse stationem, aut in contraria sibi studia scissum fuisse animum. Ceterum, ut supra hominis facultatem est, nihil errare, quin potius in solitudine eum queras oportet, qui ab omni erroris culpa sese absolvere possit, ita latus meum hic tanto lubentius aliorum iudicio submittam. Interim tamen B. L. majorem in modum rogo, ut ἀνευ παύσης hæc qualiacunque de Natura hominis Civili seu Civitatum Origine dijudicet, & si invenerit, quæ aut incuria fudit, aut ingenii parum cavuit tenuitas, ea vero æqui boniq; consulat. Saltem enim conatus omnino non displicebit.

§. 1.

NOtum in vulgus est, à tenui initio omnia profecta esse, & quicquid hic vides amplum, quicquid singulare, ex re levissima traxisse originem. Universi hujus machina ex nihilo, quod mirandum potius homini, quam curiosus ad regulam rationis exigendum, à sapientissimo Creatore producta est. Ipsum hominem, μικρότιστον illum, ex gleba terræ formavit DEVS, eum fortasse in finem, ut agnosceret ille, quæ sua sit vilis conditio, & quæ summa summi Creatoris potentia, qui ex re tam levi atq; ex pulvere hominem, nobilissimam creaturam, excitavit. Quemadmodum vero res omnes ita & maximas Civitates ex tenui quodam fonte atq; initio mirum in
mo-

modum coaluisse, atq; ad summum sæpe numero ascendisse fortunæ culmen, usq; adeo in confesso est, ut non egeat probatione. Ut sic optime quadret hic, quod Poeta de fluminum incrementis scite canit:

*Flumina magna vides parvis de fontibus orta,
Plurima collectis multiplicantur aquis.*

Roma, quam leve habuerit initium, quæ mutationes tam profunde in corpus Reipublicæ descenderint, quæq; post sumserit ad stuporem incrementa, ad oculum patebit ex ætatibus ejus quatuor diversis, quas statuit Florus Lib. I. cap. 8. In principio enim Romulus aratro circumscripsit condendam urbem, & inter pastores, servos, & id genus homines, qui confluerant, imperium exercuit, rei; publicæ corpus instituit. Diu circa incunabula urbs hæsit, nec splendore, nec civium numero, nec imperii latitudine illustris fuit; sed tantos postea cepit auctus, tantaq; incrementa, ut urbs marmorea esset, qualem se reddidisse Augustus judicavit, ut caput existeret atq; princeps Orbis fere universi, ut disjunctissimis populis fræna injiceret dominioq; premeret, & Europam & Asiam & Africam in bonis fortunæ suæ haberet.

§. 2. Misis reliquis Civitatibus, quæ ex quilibet quasi in immensam molem excreverunt, in primis adhuc notanda venit Venetorum Civitas. Quæ sane hac ratione maxime æmula est Romanæ Reipublicæ, tum quoad initium & ortum, qui levissimus certe fuit, tum quoad hodiernum statum rerumq; faciem,

ut illam splendore, divitiis, potentia, aliisque rebus, quæ consummatissimam Rempubl. absolvunt, vel superet, vel exæquet, in eo saltem distincta, quod non ex fordibus, ut Roma olim, sed nobiliori semine creverit. Nimirum circa annum 452. portentum illud naturæ Attila, Hunnorum Rex, urbem Aquilejam miserrimum in modum vastaverat, & æquaverat solo, unde factum ut altioris quietis causa vicini & pars civium exulantium in oras maritimas atque insulas maris Adriatici se reciperet; Et cum latius non manaret hostium vis, nec eo locorum pertingeret, exstruebant ibi ædes ac domicilia, unde ex majori indies adventantium undique ac confluentium numero, amplissima longe & omnibus opibus adfluens Civitas, quæ hodie Venetiarum nomine appellatur, exsurget. Vid. Casp. Contarenus de Venet. Rep. L. I. p. m. 10. f. Becman. Hist. Geogr. c. VI. p. 189. & summi Polyhistoris C. S. Schurzfleischii Diss. quæ *Venetorum Regimen* inscribitur, §. I. Georg. Horn. Orb. Polit. c. 4. it. *die Durchl. Welt* Part. 3. p. 202.

§. 3. Atque ita, cum origines atque causas, quibus ejusmodi Civitates in unam quasi massam feruntur, aut homines impelluntur ad constituendas hæc societates civiles, h. e. Naturam Hominis Civilem, paucis evolvere apud animum statuerim, ante omnia impense rogo contendoque; B. L. ut hæc qualiacunque benevola oculorum mentisque acie beet, stimuletque

eo

eo ipso ad altiora aliquando animum ejus, à quo alia in præfenti expectare longum foret.

§. 4. Ne vero hic tenuem ratem Oceano committere videar, in enucleatione vocum brevitati studens adeo multus non ero, quæ tamen, quia ad rem magis illustrandam utique facit, non omittenda prorsus erit. *Civitatem à Cive, civemq;* vi vocis quasi *coivem* dici, ut ita à coeundo nomen trahat, *εὐφωρίας* vero gratia pro *coive* civis dicatur, non præter rem licet affirmem. vid. Wolfgang. Heideri Philos. Politic. System. cap. I. p. 39. Nam coeunt homines in coetus, velut in unum corpus, ut, quod ab Aristotele de non fucatis amicis eleganter dictum, *εἶναι μίαν ψυχὴν δύοιν σώμασιν ἐνοικῶσαν*, esse eos unam animam in duobus corporibus habitantem, idem de Civitatibus aliquo modo asserendum sit; quia & ipsæ ad mutuam ferendum auxilium animas animosq; jungunt quasi atque componunt. Non inconsulta quadam ratione *Civitatem quasi corpus* dixi, cum tempestive mihi hic occurrat, quod Wendelin. in Instit. Politic. Lib. I. c. 6. p. 81. edisserit: *Natura Civitatis in eo consistit, quod sit, veluti corpus mysticum, ad corporis vivi veriq; modum.* Corpus morale seu civile non injuria dixeris.

§. 5. Hinc pronum est colligere, Civitatem in præfentia ab Urbe differre. Hæc enim potissimum pro compage ædificiorum accipi solet, eaq; propter Wendelino, cujus modo mentionem feci, *Urbis termini muri sunt.* Neque tamen ex his eliciendum,

mu-

muros constituere proprie urbem, & hanc circum-
scribi tam angustis finibus : nam habemus urbes,
quæ mœnibus plane cinctæ non fuerunt, ut florentis-
sima illa Sparta, apud Plut. in Lacon. conf. Becmann.
Med. Polit. c. XI. §. 9. ubi & exemplis urbis dicam, an
orbis, Lutetiæ Parisiorum itemq; Londini, muros sim-
pliciter necessarios non esse comprobat. Et Bodi-
nus de Republ. L. 1. c. 2. inquit, *non in moenibus civi-
tatem subsistere, sed in civium omnium coetu sub ejus-
dem imperii summa potestate.* Civitas igitur in con-
gregatione atq; multitudine hominum consistit, sive
inhabitantium urbem, sive minus : quo pacto multi
olim civium Romanorum ruri morabantur, nec ha-
bitabant in urbe. Hinc secundum Sigonium l. 2. de
jur. civ. Rom. c. 6. cives Romani in Urbanos & Rusti-
cos dividebantur. Quanquam etiam haud raro apud
Auctores, inprimis Poetas, Urbs & Civitas, inter se
permutentur.

§. 6. Dubia certe atq; anceps adhuc est Civi-
tatum origo, ita ut monumentis rationum in utramque
partem agitur passim, & ingenti ferro, quod ajunt,
disceptetur. Inprimis vero quam fuerit causa,
quæ homines in cœtus adduxit, inter veteres pariter
ac recentiores res plena contentionis est. Taceo
eos, qui fortuito & temere homines confluisse in
societatem politicam, ut atomos, jactitant. Quæ
opinio ab Epicuro ad nos delata forsan, merito, ut
à plerisque inter nostrates sic jam dudum explosa à
Ci-

Cicerone est, de natur. Deorum. Ob timorem à bel-
luis Diodorus Siculus Lib. 1. cap. 1. mortales esse con-
gressos ait, atque deinde ignis notitiam edoctos facili
opera & brevi tempore ceteras res, quæ vitæ commo-
ditatibus inserviunt, invenisse. Vid. Jacob. Thomaf.
Program. VII. p. 60. sqq. ubi pluribus & aliorum sen-
tentias exponit, qui foedioribus adhuc mendacis pri-
mitias societatum civilium contaminarunt. Vel ab-
lego B. L. ad Keckerman. System. Polit. in Præcogn.
p. II. 12. qui varie de Civitatum origine sentientium
campum aperit. Nos mittimus errores gentilium,
dignos utique venia, quorum mentes tenebris opple-
tæ non capiebant tantam rem tamq; sublimem. Hoc
miremur potius, quod magno ceteroquin vir ingenio
Thomas Hobbesius originem civilium societatum
non à *temporaneo quodam*, sed *perpetuo omnium in om-
nes bello ac vi* suspenderit. Nam in Elem. Philos.
de Civ. c. I. n. 12. p. 15. aperte in hæc verba differit:
*Negari non potest, quin status hominum naturalis, ante-
quam in societatem coëatur, bellum fuerit, neque hoc
simpliciter, sed bellum omnium in omnes.* Conf. Leviath.
c. XVII.

§. 7. Prævisse autem Hobbesio videtur Joh.
Bodinus in Gallia, qui & ipse vi constituta regna &
civitates esse Lib. 4. c. 1. de Republ. statuit. Quan-
quam B. Jacobus Thomafius Progr. 19. p. 186. potius
ex Epicuri horto Hobbesianam hanc segetem succre-
visse non sine ratione statuatur. Quo etiam sententia

B

Joh.

Joh. Jacob. à Rysfel. Contin. Gerhard. Joh. Vossii
Libri de Philosophorum Sectis c. 10. §. 17. 18. redit.
Etsi ipse Hobbes, unde hauserit opinionem suam, non
sit professor. Longius vero Bodino, opinor, digres-
sus est Hobbesius, & utique universo humano generi
injuriam facit, cum per bellorum injurias, per im-
manitates societates politicas cepisse primordia sua
affirmare non erubescit. Putarem, facile ipsi rubo-
rem in genas reflecti posse, si demonstretur, quod
homines, quorum in censu tamen est, in bestias fin-
gere ac transformare voluerit. Sic enim Vir ingenii
princeps olim in Acad. Lipsiensi Jac. Thomasius in
Præf. LVII. p. 335. hanc Hobbesii opinionem *Jus Be-*
stiale & jure quidem, quodque saniora edoctus fas esse
rebitur, inscribere non dubitat.

§. 8. Equidem *natura homines aequales esse* non
negabimus, sed quod Hobbesius ex hoc principio co-
lorem suæ sententiæ conciliare studet, quasi eam ob
causam bellum omnium contra omnes enascatur, id
vero degeneris plane animi est affirmare. Et sane
quidem aliter existimare non possumus, quam quod
ille de industria atque præcipiti gradu, quod dicitur,
contra ipsam justitiam arma ferat. *Egregius profecto,*
verba sunt B. Thomasi, *morum formator, qui ut pro-*
bos nos faceret, elementum probitatis primum ponit,
justum esse bellum, quod homo quisvis contra quemvis su-
scipiat. Præfat. L. II. p. 303. En bona verba! Apud
veteres Græcos quondam in proverbium abiit: *ἄνθρωπος*
ἴσθι

Ⓞ ἀνθρώπος δαίμων, homo hominis Deus s. angelus,
Erasm. adag. 69. f. 41. h.e. hominem homini omni par-
te consultum velle debere, opem ferre, atq; quod al-
terius commodum adjuvet, id omne non solum pro-
fiteri, sed & sponte efficere. Noster vero Hobbes,
cum eas societates politicas nobis obtrudere conatur,
quæ non nisi per bella ac flumina sanguinis radices a-
gunt, non aliud quærit, quam ut homo homini lupus
sit, & infra dignitatem suam h.e. pecudes sese abjiciat.
V. Ric. Cumberland. de Leg Nat. c. 2.

§. 9. Hac ratione nescio, quem naturalem sibi
fingat hominum statum, nec veniæ locum invenio,
*cum statum hominum naturalem, antequam in societatem
coëatur, bellum fuisse tradat.* Deploranda quippe ve-
nit juxta ejus hanc mentem conditio mitissimæ matris
naturæ, quam tali ratione cladibus, cædibus, rapinis,
& quæ reliqua sunt, quæ instar trucis cujusdam veneni
in viscera Civitatum se demum insinuare haud raro so-
lent, easdem producere arbitratur. Nam ideo ine-
ptos nos esse natos ad societatem, ut non alius sit no-
stræ naturæ status, quam *bellum omnium contra omnes,*
ingeminat, in Præf. ad Lector. & c. 1.

§. 10. Sed temporis pretiosissimæ rei, aut paginæ e-
tiam angustia exclusi, nolumus amplius exquirere opi-
nionem hanc Hobbesii; neq; etiam uno ictu licet: potius
in eorum acquiescemus judicio, qui valida manu id
laboris jamdudum exhauserunt. Nunc lustrabimus
causas, quæ homines in politicas societatis s. Civitates
pel-

pellexerunt. Atq; naturalem hominis instinctum, quo fertur ad socialem vitam, prius oportet cognoscamus; Voluit natura ejusq; sapientissimus auctor Deus illum inter cetera animalia perfectissimum ac optimum esse, l. Polit. II. c. 8. cum ei concessit singulares quasdam dotes præ reliquo animantium genere, *Intellectum & Voluntatem*, sine quibus alias isthanc perfectionem, quæ potissimum sociali vitæ inservit, vix poterat consequi. Vid. Dissert. Joh. Barthold. Niemeieri de Societat. §. I. Itaq; natura homo animal est *νοῦν ἔχων*, quia natura *vi Rationis & Orationis conciliat hominem homini*. Cic. L. I. Off. c. 16. qui eleganter Rationem hanc & Orationem pro vinculis humanæ societatis habet. *Rationem* adjuvat *Oratio s. Sermo*, pandendo scilicet animi nostri sensa, & ut dictus jam Parens Eloquentiæ Romanæ de utroq; hoc adjumento societatum paulo post uberius mentem suam explicat, *docendo, communicando, disceptando, judicando, inter se homines conciliat atq; naturali conjungit societate*. Hujus rei causa pateat semper homini hominis auxilium, ferenti non molestum, accipienti vero utile, nec unquam, quoad in viribus situm, à studio mutuæ benevolentiae cessandum est. Hinc bruta & pecudes, utpote lumine rationis facultateque orationis destitutæ, ejusmodi societatem componere nequeunt.

§. II. Hinc facile quispiam devia premere poterit, qui vel brutis animantibus societatem aliquam asfingere conetur. In crustabit vero opinionem suam
non

non nisi adulterinis aut male temperatis coloribus, si summam rei atq; penitissima nonnihil rimemur. Equidem dantur alia inter bruta animantia σποραδικά, solivaga atq; dispersa; alia rursus ἀγελαία, h.e. gregis amantia, quo nomine censentur apes, grues, formicae. L. i. Hist. animal. c. l. p. 828. Sed facili opera omne hoc, quicquid est, solvitur, si asseramus, dici non mereri societatem, sed potius congregationem, quia scilicet optima vincula quibus combinatur vita socialis, Ratio & Oratio penes eos exulant. Neq; enim ulla re magis absumus à natura ferarum, quam ratione & oratione Cic. Off. L. i. c. 16. Convenienter prorsus Græci vocabulo λόγος & rationem & orationem appellare solent, fortasse quia ratio & oratio arctissima quadam necessitudine conjunctæ sunt, alteraq; sine altera usui vel nulli est, vel exiguo plane, quas quia homini concessit dotes, brutis vero animantibus natura negavit, multum ille his præstare palam est atq; conspicuum. v. Jo. Fr. Hornius de Subj. Jur. Nat. c. 6. Sed altius subveherer tactæq; semel hujus materiæ panderem vela, nisi ipsa instituti præsentis ratio contrahenda ea dicitaret.

§. 12. Dictum igitur hætenus fuit, hominem esse natura ζῷον κοινωνικόν, animal sociale; nunc ulterius progrediendum atque inquirendum est, num sit τῆ φύσεως πολιτικόν, natura civile. Quod ultro Aristoteles afferendum ducit, lib. i. Polit. c. 2. cum quo & alii faciunt. Vid. Jo. Fr. Hornius de Civitat. lib. i. c. 4. §. 6. qui statuit, naturam hominibus indidisse impulsivum & appetitum

tum civilem, ad communem vitæ consuetudinem, qui impetus nascendi ordine & necessariorum conversatione confirmatur. Atq; hujus rei veritatem duobus potissimum superstruit argumentis, alterum à facultate loquendi, cujus jam mentio facta est; alterum à discrimine justii & injusti arcessit, quod rationis effectus est. Keckermannus in Præcognit. Systemat. Politic. p. 9. 10. naturali instinctu in societatem Politicam homines abiisse ait, ita tamen ut metus etiam accedat, quo se ab aliorum defendant injuriis. Cautius quidem sentit hac de re, nec tamen omnem expedit, atq; nobis hic licebit alia legere vestigia. Conf. Jo. Casi Sphæra Civit. L. I. c. 2. p. 18. f.

§. 13. Ceterum ne ego intra debilem adhuc doctrinæ partem obhærescens clarissimis hisce viris insultare quodammodo videar, non sine ratione ad aliorum provocabo judicia, quorum summa laus eo jam folio nititur, ex quo sane & in hac doctrinæ parte pro ducibus esse possint. Negat Illustr. Pufendorffius contra Aristotelem ejusque Interpretes L. VII. de J. N. & G. c. I. §. 3. & L. II. de Off. H. & C. c. V. §. 2. hominem, posita socialitate, natura etiam ad societatem politicam statim ferri, ut citra eam nec possit, nec velit vivere: nisi laxius accipi Aristotelis verba debeant, ut nil magis significarit, cum civile animal hominem dixit, quam quod societatis capax, & ad civitatem constituendam aptus sit. Atq; rationes, quibus societatem civilem non deberi instinctui naturæ, nos edocet

Pu-

Pufendorffius, maximi sane momenti sunt, si exactius earum ponderemus mensuram. Nam cum libertatis naturalis jacturam faciat homo, qui civis sit, utique ex eo evincitur, non à natura, sed alius repetendam esse causam, cur se subjecerit juribus Civitatis, quæ jus vitæ & necis complectuntur. Cumque homini à natura innatus sui sit amor, ita ut per libertatem naturalem nullis pæne subjectionis frænis contineri cupiat, sed utilitatis suæ quam maxime amans sit, non potest esse à natura implantatus iste appetitus ad vitam civilem, in qua non semper verificari licet proprio commodo sed sæpius ad bonum Civitatis referendæ actiones sunt etiam contra privatas rationes. Quippe ille demum boni Civis titulum rite tuetur, qui lubenter imperantium jussis ac voluntati jugum submittit, eamque veneratur præno obsequio, quique non proprio semper, sed communi invigilat bono: Quæ vero omnia raro conveniunt in homine suæ indulgenti naturæ ac commodo atque conspirant, quin potius paucos invenies, qui hunc duntaxat finem intendunt.

§. 14. Manus Pufendorffio jungit πολιτικάται. Hermanus Conringius in Libr. de Civil. Prudent. c. 6. p. 81. seq. ubi fuse exponit ac erudite, ut solet, mentem suam, cur homo non ita natura ad societates civiles ordinetur. Etenim, quod ab Aristotele & aliis ratum habetur, non nisi in Civitate felicitatem naturalem obtineri posse, id adeo nullum est, ut potius cum incomparabili Conringio affirmemus, etiam extra Civitatem dari naturalem felicitatem. Quia itaque felicitate nostra fruetiam licet, etsi non simus participes Civitatis, teste exemplo Patriarcharum V. T. Anachoretarum inter paganos æque ac Christianos, pulchre utique Conringius ex hoc ipso fonte colligit, *natura non esse constitutum, ut homo in Civitate degat, cum natura non servatur nisi ad id, quod ad suam felicitatem pertinet.* Illi vero, qui ideo natura Civitates coalescere existimant, quasi citra easdem vitæ necessitas non possit expleri, nimis iniquam de optima matre natura foyententiam; & facile hoc telum eliditur, si dicamus, paucis naturam contentam esse, nec adspirare semper


ad


ad amplas Civitates, sed arctioribus etiam finibus vitam nostram posse contineri. Idcirco laudatissimus jam Conringius hanc opinionem hominum elegantiam, imo luxuriam sectantium propriam esse censet, cum extra Civitatem naturam egestatis alicujus velint arguere. Etsi itaque homo *natura animal sociale* sit; tamen ex hoc non fluit statim, etiam *natura πολιτικόν animal* esse. Vid. Dn. Christ. Thomasius, J. J. D. L. III. c. 6. §. 7. & quæ sequuntur.

§. 15. Idcirco nulla alia, quæ homines derelicta libertate naturali ad Civitates constituendas impellit, causa est, quam *metus atque necessitas*, ut ab aliorum sibi caveant malitia atq; injuria. Sane si reputemus, quæ homini ab homine mala consentur, quæque nobis vel insciis struantur insidia, non aliter eisdem obicem poni potuisse reperimus, quam Lege Civili. Et recte ita secundum Pufendorffium de O. H. & C. c. 5. §. 8. non sufficientia alia media sunt reprimendæ hominum malitiæ, cum nec Lex naturalis id præstare possit, ut satis secure vivamus in libertate naturali. Quamvis enim satis Lex dictitet Naturalis atq; insinuet, ut ne cui injuriam inferamus, aut alteri tendamus retia; tamen non omnes unanimi semper consensu hoc virtutis negotium peragant, quin potius, si in vitas hominum inspicere juvabit, magna pars exuta omni humanitate in grande nefas concedit. Quem in finem major vis Legis Civilis accedit arcendæ & coercendæ aliorum injuriæ, ac tutius degendæ vitæ causa. Quoniam igitur ista *ἀνταρξία* atq; securitas citra imperium Civile obtineri non poterat, genuina certe hæc fuit causa, quæ homines in Civitates addegit, ut scilicet valida sibi atq; firma satis contra aliorum malitiam præsidia circumponerent. Vid. Pufendorffius l. c. item Grotius prolegom. ad J. B. & P. §. 19. Dn. Thom. J. J. D. L. III. c. 6.

§. 7. sqq. Magn. Buddeus Elem. Philos. Pract.
c. IV. f. 13. §. 2.

— — — — —
*Ingenium, virtus, probitas & gratia morum
Civem Hominemque bonum TE fore rite probant.*
P R Æ S E S.





AB: 155 159




7
5b.

VD 18
VD 17







B.I.G.

Farbarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

TATIO

RA HO-
CIVILI,

AM
SIDE

ECKHARDO,

L. RECTORE

OMNI OBSERVAN-
DEVENERANDO

RIO MAJORI

DISSENTIENTES TUERI
ABITUR

RESPOND.

RIAS *Wartmann*,

TZBURGICUS.

1600. ab hora
matutina.

INBURGI,

GI SIEVERTI, Typ. Aul.

